

Altenryf. Auch hier herrschte bisher keine gute Disciplin. Auf mein Betreiben wurde jedoch der Generalvikar von Lausanne¹⁾ zum Abte gewählt, der die Reform durchgeführt hat. Jetzt geht Alles gut.

Salem hat, wie man sagt, ein Einkommen von 60.000 fl. und ist eines der schönsten und grössten Klöster. Es zahlt dem Reiche jährlich 392 fl. und stellt 7 Pferde, sowie 77 Soldaten. Diesem Stifte sind viele Frauenklöster unterstellt und der jetzige Abt entwickelt viel Eifer für die Reform derselben. Als er für Gutenzell, wo lauter adelige Frauen sind, Verordnungen gab, wehrte sich die Ritterschaft in Schwaben und die Nonnen selbst wandten sich mit Empfehlungen des Kaisers nach Rom. Ich wurde beauftragt Bericht zu erstatten und fand, dass die Frauen zu nichts Weiteren verpflichtet werden sollen, als was sie bisher beobachtet hatten. Der Abt war hiemit jedoch nicht zufrieden.

Weitere Cistercienserklöster sind Tennenbach (Porta Coeli), Neuburg (Novo Castrense, im Elsass) und Lützel, letzteres »disreformato.« Der Abt wäre zur Einführung der Reform geneigt, bat mich aber, behutsam und milde vorzugehen, da er die Mönche fürchtet. Ich gab daher einige Verordnungen, die befolgt werden. Mein Nachfolger möge das Werk fortsetzen.«

De sermonibus seu Homiliis

dubiae auctoritatis aut certo pseudepigraphis

Romano Breviario insertis.

(Scripsit P. Germain Morin, monachus presbyter monasterii Maredsolensis.)

Licet ipse primus et insignis Romani Breviarii corrigendi auctor s. Pius V. a divino officio ea »quae aliena et incerta essent«²⁾ removenda curasset; maiori denuo diligentia tantum opus ad finem feliciorum perduxit Urbanus VIII, dum praedictum Breviarium ita decori pristino restituendum suscepit, ut »Patrum Sermonibus et Homiliis collatis cum pluribus impressis editionibus, et veteribus manuscriptis, ita multa suppleta, multa emendata essent atque correctae.«³⁾ Rei testem omni exceptione maiorem habemus, ipsum Bartholomaeum Gavantum, qui Commentariorum suorum in Rubricas Breviarii Sect. V, cap. XII, n. 16 istud de se ipso fatetur: »Secundas autem Lectiones, et tertii Nocturni ex SS. Patribus desumptas recognovimus postremo, ut concordent cum emendationibus eorum Textibus, sive impressis, sive MS.

¹⁾ Anton von der Weyd. Müllinen, I. S. 178.

²⁾ Pii PP. V. Bulla, Quod a nobis postulat.

³⁾ Urbani PP. VIII. Bulla, Divinam Psalmodyam.

Codicibus Vaticanis. « Perbelle quidem, ut tum res erant, munere perfunctum fuisse praeclari nominis Virum infitiabitur nemo. Divino tamen consilio evenit, ut proximo potissimum aevo prodirent editiones SS. Patrum, existimantium arbitrio et sollertia praestantiores. Unde minime mirandum, si eorum qui in Breviario habentur textuum hodie vacillat, immo aliquotiens omnino ruit auctoritas. Quae res etsi nullatenus sacrosanctae Romanae Ecclesiae documentis pretium detrahit, nonnihil interim offensionis exhibet: dum prudentium iudicum teretes aures laeduntur, ceteri vero minus periti apocryphas quasvis scriptiones tamquam probatissima eximiorum Doctorum opera non solum accipiunt sed et plurimum laudant, commendant, creberrime in coetibus et exedris ecclesiasticis usurpant atque extollunt: ut magna esse solet in talibus Librorum Liturgicorum vis atque consuetudo. His de causis, neque inutile nec prorsus iniucundum mihi negotium importavi, huiusmodi Sermonum seu Homiliarum indicem texendi, additis cum exquisitorum censorum animadversionibus, tum denique novis titulis, quae deinceps praefatae Lectiones aptius inscribendae videntur.

Ex Proprio de Tempore.

1. In Festo SS. Innocentium, 2^o noct. Sermo s. Augustini, ep. (serm. X de Sanctis) Hodie, fratres carissimi, natalem illorum.

Ex Homiliariis S. Caesarii Arelatensis episcopi mandavit; ab ipso, ut solebat, ex frustis Augustini et Ambrosii conflatus.

Sermo S. Caesarii ep. in append. August. 220. (Patrol. Latin. ed. Migne, t. 39, p. 2152.)

2. In octava S. Stephani, 2^o noct. Sermo S. Augustini ep. (serm. 2 de S. Stephano). Post hesternum festivissimum diem.

A Lovaniensibus et Maurinis in Appendice collocatus. Sermonem Eusebianum, qui incipit »Quoties caritatem vestram,« a Maurinis minime repertum, inveni ego inter sermones S. Caesarii in veteri quodam Homiliario ad usum Ecclesiae Gotho-Hispanae transscripto. Neque tamen sermonem qui hodie Augustini nomine legitur, inter omnino spurios, sed moderatori ac forsan aequiori iudicio in dubiorum classem revocare ausus fuerim.

Sermo S. Augustini inter dub. in Append. 211. (P. L. 39, 2140.)

3. In Octava SS. Innocentium, 2^o noct. Sermo S. Augustini (1 de Innoc.) Nascente Domino luctus coepit, non coelo.

Bedae quoque et Chrysostomo sed aequo falso adscriptus. Desunt hic nonnulla quae initio iuveniuntur in Editis, ex libro

S. Ambrosii de Fide desumpta. (Lib. 1, n. 30—31. P. L. 16, 534—5). Reliqua, eiusdem, in fallor, auctoris sunt, cuius nonnulla haud minus scenatica habentur priscis Operum S. Joannis Chrysostomi editionibus immixta. (Cf. ed. Basil. Froben a. 1530, t. 2, p. 536.)

Inter spur. Augustini, Append. 219. (P. L. 39, 2151.)

4. In Vigilia Epiphaniae, 2^o noct. Sermo S. Augustini (13 de Tempore). D. N. J. Christus, fratres carissimi, qui in aeternum.

Consarcinatus est ex variis Augustini locis inconcinne digestis. Quaedam similiter invenies in 2^o sermone de Assumptione S. Hieronymi nomine haud jure insignito (P. L. 30, 149), necnon in Praefatione in Octabas Domini, in Sacramentario quod Gelasii vulgo esse dicitur. (Muratori, Opp. minori, t. XIII, part. 2, p. 13.)

In Append. Augustini 128. (P. L. 39, 1997.)

5. Feria III infra hebd. I Quadragesimae. Homilia Venerab. Bedae presbyteri. (Hom. 7 in Quadrag. t. 7.) Quod maledicendo ficum infructuosam.

Habetur quidem inter subdititias sancti Bedae homilias. Re autem vera nihil aliud est, ac genuina ipsius ad hunc Marci locum adnotatio.

Homilia ex Commentario vener. Bedae presb. in Marc. lib. 3, c. 11. (P. L. 92, 245—7.)

6. Dominica in Albis, 2^o noct. Sermo S. Augustini. (1 in Oct. Pasch. 157 de Temp.) Paschalis solemnitas hodierna festivitate.

Augustinianum nihil eo in sermone deprehenditur, praeter fragmentum concionis inter genuinas 210: quod qua ratione praesenti exordio assutum sit, haud satis video, quandoquidem hic de Paschalibus festis jam peractis, illic vero de jejuniis quadragesimali disseritur. Certe idem sermo Paschalis solemnitas, sed longior et ex sui similibus partibus constans invenitur in MS. S. Caesarii collectionibus, qualis ab Angelo Maio in lucem editus est. (Nova Bibl. PP. I, 83.)

Inter Spur. Augustini, Append. 172. (P. L. 39, 2075.)

7. Dominica infr. Oct. Ascensionis, 2^o Noct. Sermo S. Augustini (2 de Ascens. 175 de Temp.) Salvator noster, dilectissimi fratres, ascendit in coelum.

Istum etiam sermonem legi in Homiliario Caesarii curis confecto. Pleraque ex genuinis Augustini concionibus deprompta fuere; nonnulla pariter habentur in celeberrima collectione Gallicana, quae inscribitur Eusebius Emisenus, sermonibus de Ascens. 1^o et 2^o.

Inter spur. August. Append. 177. (P. L. 39, 2082.)

8. In Oct. Ascensionis, et feria sequenti, 2^o noct. Sermo S. Augustini (3 de Ascens. 176 de Temp). Omnia, carissimi, quae Dominus Jesus.

Est in eadem Eusebiana collectione sermo de Ascensione secundus, hominis certe Galli, nec ullius magis quam Fausti Regiensis episcopi ob semipelagianas opiniones famosi, fetus perspectissimus.

Inter spur. August. Append. 176. (P. L. 39, 2081.)

9. In Vigilia Pentecostes, 2^o noct. Ex Tract. S. Augustini de Symbolo ad Catechum. (lib. 4, c. 1.) Dum per sacratissimum crucis signum.

Tractatus iste unus est ex sermonibus sex Augustini de Symbolo, qui ad nos usque Caesarianis collectionibus colligati pervenerunt. Porro primus tantummodo absque dubitatione ulla Augustino tribuitur. Inter reliquos forte latet Expositio illa Symboli ambienda, de qua est apud Scriptorem Vitae S. Hilarii Arelatensis. (P. L. 50, 1233.)

Inter dub. Augustini tom. 6. (P. L. 40, 659.)

10. Dominica SS. Trinitatis, 3^o Noct. Homilia S. Gregorii Nazianzeni. (In Tract. de Fide.) Quis Catholicorum ignorat, Patrem vere esse.

Liber De Fide orthodoxa unde lectio ista deprompta est, uti passim jam convenit inter eruditos, sancto Phoebadio Aginnensi episcopo restituendus est. (Cf. Patol. Graec. t. 36, col. 671—4.)

Homil. ex Prologo Tractatus secundi S. Phoebadii Agin. ep. contra Arianos. (P. L. 20, 33.)

11. Feria IV infr. Oct. Corporis Christi, 2^o Noct. Ex libro S. Ambrosii Ep. de Sacramentis (L. 4, c. 4). Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus.

De sex libris De Sacramentis Ambrosio olim adscriptis idem nunc fere iudicium atque de Apologia David altera: scilicet a quodam Ambrosii discipulo digesti videntur, qui genuinum sancti Praesulis De Mysteriis librum amplificatum suo stylo accommodaverit.

Inter dubia S. Ambrosii. (P. L. 16, 439.)

12. Dominica III^a post Pentecosten. 2^o noct. De Expositione S. Gregorii Papae in libros Regum. Hoc profecto hac unctione exprimitur.

Serio in dubium vocatur Expositionis illius auctoritas, uti videre est apud Cellerium nostrum (Hist. Script. Eccles. ed. nov. t. 11, p. 546.) licet Mabillonius illam pro viribus vindicavit, quod exinde sibi Gregorii monachatum professionemque benedictinam propugnanti argumenta nova suppeditari existimaret.

Inter dub. S. Gregorii. (P. L. 79, 278.)

13. Dominica IV^a post Pentecosten, 2^o noct. Sermo S. Augustini. (197 de Temp.) Stabant filii Israel contra adversarios.

Sermo ex quo fragmentum istud excerptum fuit, iis certe adnumerandus est, qui jam Caesarii fetus agnoscuntur indubitati. Exstat in duplici MS. collectione Caesariana de Scripturis.

Sermo S. Caesarii Arelat. ep. in Append. August. 37, n. 5. (P. L. 39, 1820.)

14. Dominica IX^a post Pentecosten, 2^o noct. Sermo S. Augustini. (201 de Temp.) In lectionibus quae nobis diebus istis recitantur.

Idem esto iudicium, ac de praecedenti. Porro videtur cum caeteris de Scriptura concionibus concorporandus, quas quadragesimali tempore ad Catechumenos instituendos frequentius habuit Arelatensis noster.

Sermo S. Caesarii ep. in Append. August. 40. (P. L. 39, 1823.)

15. Dominica III^a Novembris, 2^o Noct. Ex libro S. Athanasii ep. ad Virgines. Si accedant aliqui, et dicant tibi.

Validissimae rationes, quin librum istum Athanasio adseramus, obsistunt. Qua de re videsis acumine paucis postferendum Tillemontium, Hist. Eccl. VIII, 702.

Inter dub. S. Athanasii (Patr. Gr. 28, 258).

Ex Proprio et Communi Sanctorum.

16. Die VIII Decembr. Immacul. Conceptio B. M. V. 2^o Noct. Sermo S. Hieronymi presb. de Assumpt. B. M. V. Qualis et quanta esset.

Pars est notissimi illius Sermonis cui initium, Cogitis me o Paulo et Eustochium. Porro hunc libellum, jam olim ab illustrissimo Baronio Hieronymo aequae ac Sophronio abjudicatum, vix ante Hincmari tempora cognitum fuisse, et inter saeculi octavi finem et medium sequentis, verisimiliter in Gallia septentrionali, in lucem editum proprio opusculo nuperrime ostendi.¹⁾

Inter spuria S. Hieronymi. (P. L. 30, 130.)

17. Die XV Decembr. In Oct. Immac. Concept. 3^o Noct. Homilia S. Epiphani Ep. (Orat. de laud. Deiparae.) Quid dicam, aut quid proloquar.

Argutioris acuminis viri, teste Cellerio t. VI, 423, hanc Orationem S. Epiphano haud recte tribui profitentur. Commu-

¹⁾ *Messenger des Fidèles*, revue bénédict. de Maredsous, Août 1888.

niter aiunt eam ab altero Epiphanio scriptam eiusdem quidem sedis antistite sed qui saeculo non prius IX^o vixerit.

Inter spuria S. Epiphanii. (P. Gr. 43, 491.)

18 Die XXV Januarii, Convers. S. Pauli, 2^o Noct. Sermo S. Augustini (14 de Sanctis). Hodie de Actibus Apostolorum lectio haec.

Fere totus constat ex laciniis ab Augustino emendicatis. Huic locum dedit Caesarius in maiori Homiliario de diversis festivitibus a se ordinato.

Inter spur. Augustini, in Append. 189. (P. L. 39, 2098.)

19. Die II^a Febr. Purificat. B. M. V., 2^o Noct. Sermo S. Augustini. (13 de Temp.) Sic olim praedictum est: Mater Sion dicet.

Pars est eiusdem sermonis, de quo supra in Vigilia Epiphaniae.

20. Die XXII^a Febr. Cathedra S. Petri, 2^o Noct. Sermo S. Augustini. (15 de Sanctis) Institutio solemnitatis hodiernae.

Est sermo de hac festivitate prior in Homiliariis S. Caesarii. Cuius ipse materiam unde prompserit, nondum deprehendi.

Inter spur. Augustini, in Append. 190. (P. L. 39, 2100.)

21. In festo SS. Cordis Jesu, 2^o noct. De Sermone S. Bernardi Abbatis (3 de Passione Domini). Quia semel venimus ad Cor dulcissimum.

Locus est tractatus qui inscribitur Vitis Mystica, auctoris pii neque indocti, non tamen Bernardi Claraevallensis, iuxta Mabillonium. A Benedicto Bonelli ut »verisimile« sancto Bonaventurae adiudicatur.

Inter spur. Bernardi. (P. L. 184, 638.)

22. Die XXIV Junii. Nativ. S. Joannis Bapt., 2^o noct. Sermo S. Augustini (20 de Sanctis). Postillum sacrosanctum Domini natalis.

Merito inter spurios reiectus, cum plerasque sententias a Fausto Regiensi mutuatas esse perspectum sit.

Inter spur. Augustini, in Append. 196. (P. L. 39, 2111.)

23. Die XXVII Junii, infra Oct. S. Joannis. 2^o noct. Sermo S. Basilii Magni. (Hom. 2 in ps. 28.) Vox Domini super aquas. Qualis vox?

Nemo negat a Basilio Magno concionem unam de psalmo 28^o habitam fuisse. Posterioriorem vero, quae hic legitur, falso eidem adscriptam esse apud peritos quosque in confesso est. (Cf. monitum editor. P. Gr. 29, 209.)

Inter apocryph. S. Basil. (non inveni in edit. recent.)

24. In festo Pretios. Sanguinis, 2^o noct. Sermo S. Joannis Chrysostomi. Vultis Sanguinis Christi audire virtutem.

Nullibi alias in toto Breviario iuvenies tam breviter notatum sermonis fontem. Illud, ut conicio, causae fuit, quod iam pridem concio ista ex editionibus Operum S. Chrysostomi intereiderit. Ipsam tamen legi in Codd. mss. sic inscriptam: Homilia ad neophytos. Exstat etiam in veteri edit. Paris. 1588. t. V, p. 618. ubi ita incipit: »Benedictus Deus: ecce stellae etiam de terra micuerunt.«

Inter supposita Chrysost. opp.

25. Die II^a Jul. Visitat. B. M. V. 2^o Noct. Sermo S. Joan. Chrys. (Apud Metaph.) Cum ad nos advenisset Redemptor.

Metaphrastae, ut omnes norunt, fere minima est in litteris auctoritas: certe ex dicendi genere sermonem huiusmodi non nisi iniuria Chrysostomo afflictum in propatulo est.

Inter Opusc. S. Chrysost. supposita.

26. Die VI^a Jul. in Oct. SS. Apostolorum, 2^o Noct. Sermo S. Joan. Chrys. (ap. Metaph.) Quasnam vobis, o beati Apostoli.

Haud secus de isto sentiendum, atque de praecedenti.

Inter apocrypha S. Chrysost.

27. Die XXVI Jul. S. Annae. 2^o noct. Sermo S. Joan. Damasceni (2^o de Nativ. B. M. V.). Proponitur nobis Annae thalamus.

Lectiones, quae hic leguntur, in duplici concione Damasceni de Nativ. B. Virginis incassum quaesivi. Porro inveniuntur in altera Oratione S. Andreae Cretensis de eodem festo, ab Angelo Maria Riccio, ut fertur, primum edita.

Sermo S. Andreae Cretensis. 2 de Nativ. B. M. V. (P. Gr. 97, 842.)

28. Die I^a Augusti, S. Petri ad Vincula. 3^o Noct. Homilia S. Augustini (Serm. 29 de Sanctis). Solus Petrus inter Apostolos.

Sermo, cuius pars hodie legitur. ex variis excerptis Fausti Regiensi coaluit, uti de quibusdam aliis jam admonui.

Inter spur. Augustini, in Append. 203. (P. L. 39, 2123.)

29. Die XI^a Augusti, Infr. Oct. S. Laurentii, 2^o noct. Sermo S. Augustini (30 de SS.). Beatissimi Laurentii Martyris, cuius natalem.

A Caesario in Homiliarium de Festis admissus, constat locis nonnullis ab Ambrosio emendicatis.

In Append. Augustini 206. (P. L. 39, 2127.)

30. In festo S. Joachim, 2^o Noct. Lect. IV. Sermo S. Epiphani, de laud. B. M. V. De radice Jesse ortus est rex David.

Vide quae supra adnotavi, ad diem XV decembris.

Inter spur. Epiphani, (P. Gr. 43, 487.)

31. Dieb. VIII et IX Septembr. In festo et infr. Oct. Nativ. B. M. V. 2^o Noct. Sermo S. Augustini (18 de SS.) Adest nobis, dilectissimi, optatus dies.

Insignis huius sermonis fama, quem concludit pia illa precatio: Sancta Maria, succurre miseris etc. Quidquid contenderint horum temporum deserti, absolutissimo sane iudicio a Maurinis in Appendicem rejectus fuit. A nonnullis Fulberto Carnotensi episcopo tributus, Autperto abbati potiori jure vindicatur, cuius est etiam sermo appendicis Augustini 208, huic neque rebus nec stylo prorsus dissimilis.

Inter sermones Augustino suppositos, in Append. 194. (P. L. 39, 2104.)

32. In festo Omnium SS. et per Oct. Sermo Venerab. Bedae presb. (18 de SS.) Hodie dilectissimi omnium Sanctorum.

Augustino quoque et Alcuino haud magis merito adscriptus. Mihi omnino persuasum est, hunc sermonem in genuina Collectione Pauli Diaconi non comparuisse. Cento est a Walafrido Strabone Augiensi abbate Saec. IX^o sarcitus, juxta antiquissimos Codices Germanicos. (Cf. P. L. 39, 2135 not. 6. et Mabillon, Analect. pag. 18.)

Sermo Walafridi Strab., inter Spur. Bedae. (P. L. 94, 450.)

33. In Communi Unius Martyris, 2^o Noct. Sermo S. Augustini (44 de SS.) Triumphalis beati Martyris N. dies.

Nullum suppetit argumentum, quo S. Augustino sermo ille vindicetur. Legitur in quibusdam MS. Codd., Ivonis Carnotensis episcopi sermonibus insertus.

In Append. Augustini 223. (P. L. 39, 2158.)

34. De Martyr. Temp. Paschali, 2^o Noct. Sermo S. Ambrosii Ep. 22. Dignum et congruum est, fratres

Perinde ac sermones fere omnes qui olim S. Ambrosio ascribentur, Maximo Taurinensi Mabillonii sententia restituendus est.

In Append. Ambros. s. 61 (P. L. 17, 728), vel Sermo S. Maximi Ep. 86. (P. L. 57, 703.)

35. Comm. Plurim. Martyrum, 2^o noct. Sermo S. Augustini (47 de Sanctis). Quotienscumque, fratres carissimi, ss. Martyrum.

Genuinis sancti Caesarii sermonibus iamdudum adnumeratus, et omnino adnumerandus.

Sermo S. Caesarii Ep. in Append. August. 225. (P. L. 39. 2160.)

36. In Dedicat. Ecclesiae, 2^o noct. Sermo Sancti Augustini (252 de Temp.) Quotienscumque, fratres carissimi, altaris vel templi.

Caesario Arelatensi jure quoque restitutus, in cuius fere omnibus collectionibus invenitur.

Sermo S. Caesarii Ep. in Append. Augustini 229. (P. L. 39. 2166.)

37. Sexta die infr. Oct. Dedicacionis, 2^o Noct. Ex sermone S. Augustini. (256 de Temp.) Ergo dum novam constructionem.

Genuinus quidem est inter Augustini sermones Ordine CCCXXXVI. Fragmentum vero, quod huic diei in Breviario assignatur, haud bene partibus anterioribus assutum est in veteribus editionibus, praesertim cum dicendi genus adeo differat, ut alium certo profiteatur auctorem.

Fragmentum apocryph. ad calcem sermonis 336 S. Augustini. (P. L. 38. 1475.)

38. In Octava Dedicat. 2^o Noct. Ex epistola S. Felicis Papae IV. Tabernaculum Moysen, Domino praecipiente.

Ex falsis Decretalibus excerptus.

Pseudo-Isidor. (P. L. 130, 1058.)

39. In Festis B. M. V. 2^o noct. Sermo S. Joannis Chrys. (apud Metaph.)

Jam quid ex tali fonte prodeat prudens lector agnoscat.

40. In Offic. B. M. V. in Sabb. mense Maio. Extractatu S. Augustini de Symbolo ad Catechumenos (lib. 3). Per feminam mors, per feminam.

Vide censuram sermonis in Vigilia Pentecostes.

Inter dubia August. (P. L. 40, 655—6.)

41. In eodem Officio, mense August. De Exposit. S. Gregorii Magni in libros Regum

Cf. supra, ad III^{am} dominicam post Pentecosten.

* * *

En igitur inscriptiones ferme quadraginta, quae cum aevi recentioris documentis dissident. Equidem fateor vix octavam inde partem laborare earum omnium, quae in Romano Breviario

habentur, lectionum. Ast quidni has etiam qualescumque maculas aliquando sapienter emendandas speremus, sicuti jam nonnullas Sanctorum Historias opportune nuper mutatas fuisse gratulati sumus? Quaeres forte, qua ratione res optime peragatur? Ut candide sententiam meam operiam, discrimen instituendum videtur inter lectiones levioris momenti vel minus probati auctoris, et eas quas sententiarum pondus aut sinceri scriptoris nomen commendat: priores sine luctu repudiandas, reliquas mutato solum titulo servandas. Exinde sane illud orietur emolumenti, nova quaedam Catholicorum Patrum nomina meritissima Breviario Ecclesiae universalis inseri, quale est istud Arelatensis illius Caesarii, quo nullum unquam in populari genere dicendi eminentiorem apud Christianos effulsisse negant praesentis aetatis critici quique praestantissimi.

Et ista quidem omnium pace dixerim, omnino non censorio supercilio, sed pro eo, quod tantopere monachum decet, sacrosanctae Romanae Ecclesiae ejusdemque Liturgiae praecellenti studio et amore.

Das Benedictinerinnenstift Gandersheim und Hrotsuitha, die »Zierde des Benedictinerordens.«

(Von † Otto Grashof, Priester der Diöcese Hildesheim.)

(Schluss aus Heft 3. Jahrg. IX. S. 417—429.)

Dem Kloster drohte vollständiger wirthschaftlicher Ruin. Da ergriff Luitgard II., Gräfin von Everstein, die Zügel der Regierung (c. 1358—1401). Strengen und geraden Sinnes und voll männlicher Thatkraft, unternahm die neue Aebtissin die Riesenarbeit, in die Verwaltung der Klostergüter Ordnung zu bringen und das Verlorene zurückzuerobern.

Zunächst liess sie durch ihren Canonicus Johann von Oldershausen ein genaues Lehnsverzeichnis anlegen. Wir müssen staunen über den grossen und glänzenden Hof von Vasallen. Als Gandersheimsche Lehnsträger erscheinen Herzog Ernst, Graf Johann von Spiegelberg, die edlen Herren Gottschalk von Plasse, Siegfried von Hamburg, Ludolph von Wallmoden, ferner die von Kniestedt, von Rauscheplat, von Steinberg, die Bock und viele Andere.¹⁾

Als die Aebtissin nach den alten Urkunden die Güter des Klosters zusammenstellte, fand sich, dass Manches widerrechtlich veräussert und in fremden Besitz übergegangen war. Sie suchte